

Franz Wolf

**Honori Perennaturo Conditoris Angelorum Potentissimi Domini Exercituum
Gloriosissimi, Jehovae Trinunius Memoriam Custodiae Angelicae clementissime
humano generi indultae In Testimonium amoris divini amplissimum, &
incitamentum ad grates devoto pectore fundendas efficacissimum Universitatis
Rostochiensis Rector Franciscus Wolfius, Philosophiae Magister, & Log. P.P.
ipso Die, ut vocant, Michaelis solenniter repetitam hoc programmate incultat :
[P.P. Rostochii, sub sigillo Rectoratus XXIX. Sept. Anno 1674.]**

Rostochii: Kilius, [1674]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735981744>

Druck Freier  Zugang



RU-Progr 7674/6

HONORI PERENNATURO
CONDITORIS ANGELORUM
POTENTISSIMI
DOMINI EXERCITIUM GLO-
RIOSISSIMI,
JEHOVÆ TRININIUS
MEMORIAM
CUSTODIÆ
ANGELICÆ

clementissimè humano generi
indultæ

In

Testimonium amoris divini amplissimum,

&

incitamentum ad grates devoto pectore

fundendas efficacissimum.

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

RECTOR

FRANCISCUS
WOLFIUS,

Philosophiæ Magister, & Log. P. P.

ipso Die, ut vocant, MICHAELIS solenniter repe-
titam hoc programme inculcat.

ROSTOCHII. Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr.



I. N. I.



Uam anniversariam hodie festam lucem maximâ orbis Christianus solennitate celebrat, per multos præterlapsum tractus seculorum agitatam fuisse literarum monumenta satis superque edocent. A Michaële vulgo nominis splendorem accepisse memorant. Nomen illud in scripturis aliquoties occurrit, & nunc Angelo illi increato, nunc creato imponitur, nunc etiam hominibus tribuitur. Quatuor præcipuè numerantur loca, de quibus controvertitur, num vox illa Christum, an vero Angelum aliquem creatum designet, scil. Dan. 10. v. 13. Epist. Judæ v. 9. Dan. 12. vi. Apoc. 12. v. 7. Quidam in omnibus illis volunt esse nomen Christi; idemque hoc nomen contineri in Ps. 113. v. 5. initio, in tribus syllabis trium vocum initialibus אלהינו מופקיהוהו & Exod. 32. v. 34. vocem מלאכי per metathesin explicari per nomen מיכאל. Quidam contra in omnibus illis locis esse nomen Angeli creati. Rectius tamen illi, qui vel in aliquo arbitrantur nomen esse Angeli alicujus creati. Michaellem inter septem Principes Angelorum, quibus cura hujus mundi demandata sit, connumerant. Ridiculam sane probandi rationem ex Clemente Alexandrino numeri hujus septenarii afferunt, quia sc. sunt 7. planeta, qui suo influxu hæc inferiora gubernant, quia ursæ constant ex 7. stellis, quarum auspiciis agricultura exercetur, & navigatio dirigitur. Luna septimo quoque die mutat figuram. Vetus Lyra habuit 7. tonos, in nostrâ facie sunt 7. instrumenta sensuum v. g. duo oculorum, duo narium, duo aurium & oris septimum. Et hinc etiam in Sicilia Panormi datur templum antiquissimum, septem primis Spiritibus sive principibus Angelis dedicatum. Inde in Apocalypsi totiens mentio 7. spirituum. Nomina horum 7. Angelorum recensentur hæc: Michael, Gabriel, Raphael, Uriel Salathiel, Ehudiel, Barachiel quorum duo prima in scripturis. Tertium in Tobia. Quartum lib. 10. 4. Esdræ c. 4. Reliqua aliunde hauriuntur.

Officium eorum in genere est ad stare ante Dominum, ejusque nutum ex-
 spectare. Et licet alii etiam adstant, hi tamen peculiari modo. In specie
 tamen juxta alios dicti sunt totum Terrarum ambitum in 7. partes divisisse,
 & uni unum præesse. Juxta alios, maximè Rabinos veteres, teste Schotto
 Techii curios. l. 1. c. 19. septem planetis putantur præesse, & per quosdam quasi
 canales cælestia bona ad nos derivare. In nominibus tamen quædam occurrit
 variatio. Saturno, præ est Zapkiel, juxta alios Orphiel. Jovi Zadkiel, juxta alios
 Zachariel. Marti Camael, aliis Zamiel. Soli Raphael; aliis Michael. Veneri
 Haniel, sive Aniel. Mercurio Michael, aliis Raphael. Lunæ Gabriel. Tandem
 alii probabilius censent, singulos contra peccata singula capitalia, quæ sep-
 tem sunt, nos defendere & ad oppositas illis virtutes hortari: singulis alios
 angelos subjici, quos ablegent, huic aut illi rei peragenda præfiant. Cete-
 rum suspicantur nonnulli hos 7. Principes esse ex supremo Seraphinorum
 Choro, eò quod peculiari ratione dicantur astare ante Dominum, & licet
 Michael vocetur Archangelus, putant hoc nomen omnibus convenire posse.
 Scilicet cum Rabbini, tum Pontificii, certos Angelorum ordines communi-
 scuntur. Hebræi Angelos bonos quomodo ordinent, videri potest apud Schot-
 tum lococitato. Similiter, quænam sint nomina Angelorum, qui præfint 12.
 signis zodiaci, mansionibus Lunæ, quatuor ventis & elementis. Et qua
 ratione eliciant nomina 72. Angelorum ex cap. 14. exod. versibus 19, 20. & 21.
 conjuncta cum duobus Dei nominibus \aleph & η vid. ap. eund. l. 12. c. 14.
 quos ajunt præesse 72. quinariis cælestibus, totidemque nationibus & lin-
 gvis & humani corporis artubus, & cooperari 72. Synagogæ Senioribus.
 Pontificii Thomæ sententiam amplexantes duo docent (1.) Tres hierar-
 chias sive sacros Principatus inter Angelos dari, supremam mediam & infi-
 mam. Ita Thom. p. 1. q. 108. a. 2. (2.) in omni hierarchiâ distingui 3. ordines
 diversos, summum, medium & infimum ibid. a. 2. Et quidem in suprema Hie-
 rarchia juxta Dionysium esse Seraphim, Cherubim & Thronos. In media esse
 Dominationes, virtutes & potestates. In tertia denique esse Principatus,
 Archangelos & Angelos. In singulis ordinibus 8. numerant Cabalistsæ ap.
 Schottum l. c. 14. Thomas vero longè plures. Non equidem tres illas hierar-
 chias ex scripturis probant, sed ex Dionysio Areopagita (de cujus libro de cæ-
 lesti hierarchia quid sentiendum vid. ap. Robert. Cocum in censurâ quorundâ
 scriptorum) quem omnes sequuntur, nisi quod Gregorius M. in modo enu-
 merandi paulum ab eo abeat. In prima hierarchia convent. In secundâ &
 tertia discrepat, dum in secundâ ponit Dominationes, Principatus & pote-
 states; in tertia denique virtutes, archangelos & Angelos. Lombardus l. 2. sent.

utut dicat, se sequi Dionysium. Ipse vero Dionysius hæc tria terna accepit à suo præceptore. Tres illæ hierarchiæ à nonnullis probantur, quod numero ternario voluerit Deus significare trinitatis similitudinem in Angelis expressam esse Lomb. l. 2. sent. d. 9. num. 7. Has vero hierarchias distingui volunt nonnulli tripliciter vid. Thom. loco citato. Alii eas distingui concedunt, quo verò modo, incertum esse. Ordinum illorum novenarium numerum colligunt ex scripturis ita: Seraphinorum mentio fit ap. El. 6. Cherubinorum ap. Ezechielem c. 1. Thronorum Coloss. c. 1. Dominationes, virtutes, potestates & principatus commemorat. Ephes. c. 1. Archangeli vox occurrit. 1. Theff. 4. & in Epist. Judæ. Angeli passim exprimuntur, v. g. Hebr. 1. Nonnulli etiam hos novem ordines deducunt ex Ezechielis novem lapidibus c. 28. quo de tamen vid. Chamier in panstrat. tom. 2. l. 9. c. XI. §. 9. Interim de numero hoc ap. omnes non eadem circumlata fuit sententia. Nonnulli centum ordines collegerunt ex centum ovibus Luc. 15. Alius putavit ab initio decem fuisse ordines, quorum unus per superbiam ceciderit: reliquos novem id agere, ut decimus ex hominibus rursus suppleatur, quod tamen rejicit Lombard. loc. cit. num. B. Qua vero ratione ordines inter se differant, alii fatentur cum Augustino se ignorare, alii tamen distinctionem suppeditant, Vid. P. Lomb. l. c. n. b. Quidam Seraphinos dicunt eos, qui ardent charitate; Cherubinos, qui pollent scientiâ; Thronos, in quibus Deus habitat; Dominationes, qui mandant; Virtutes, qui miracula faciunt; Potestates, qui coercent Dæmones. Principatus, qui præsunt regnis & provinciis; Archangelos, qui majora nunciant; Angelos, qui minora. Hildebr. in instit. d. 9. §. 34. Cherubini, inquit, ex mente Gregorii misericordiam; Seraphini veritatem; Throni justitiam Dei contemplantur. Dominationes inferioribus Angelis Dei nomine imperant. Principatus Monarchiis & Principatibus mundi præsunt. Potestates potestatem Dæmonum coercent. Virtutes divinâ virtute miracula edunt. Archangeli magnalia Dei annunciant: Angeli ad piorum custodiam à Deo ablegantur. At enim verò utut ex scripturis colligi possit, certos quosdam Angelorum ordines dari, vid. Eph. 1. 21. Col. 1. v. 16. non tamen hæc in vitâ, quomodo inter se differant, exacte determinari potest. Conf. Rayan. Bibl. S. voce Angelus bonus. Bellarminus Angelos secundum duo diversa instantia considerat, sc. ante lapsum & post eum. Angelorum ante lapsum principem fuisse eum, qui nunc Diabolus dicitur, post lapsum vero Michaelem factum esse eorum omnium Principem contendit, & hoc posterius ex 12. cap. Apocal. colligit. Sed ut nihil nunc dicam de priori asserto, sane posterius frustra ex citato loco concluditur, cum per Michaelem commodissime Christus ipse
ntel-

intelligatur. Aliàs contendunt, Michelem olim præ fuisse in V. T. Synago-
gæ Judaicæ, eò quod Dan. c. 10. v. 13. dicatur egisse causam judæorum; & ep.
Judæ v. 9. contenderit cum Diabolo de corpore Moſis. Apparuisse eum
sæpius in V. T. censent. Sunt qui Michaelem existimant apparuisse Moyſi in
rubo, eduxisse Israelitas ex Ægypto, dedisse legem in monte Sinai, apparuisse
Balaam, Gedeoni, imò delevisse exercitum Sennacheribi. Michaelem fuisse
medium inter illos qui Abrahamo visi; dextrum ejus Gabrielem, sinistrum
vero Raphaelem clausisse latus, non defuerunt qui putarint. Michael exi-
stimatur manum cohibuisse Abrahamo, ne filium mactaret; comes fuisse pu-
erorum in fornacem Babylonicam conjectorum, adfuisse Danieli in antro
Leonum; & quæ sunt alia quæ adscribuntur huic Angelo opera, quæ cum ex
Sacris non possint doceri, fides maneat penes autores. Nec minus Michae-
lem præsidem esse Ecclesiæ N. T. magnis conatibus propugnatum eunt. Ma-
ximè patrociniū huic adfectioni quærunť ex variis apparitionibus, testibus
tantī præsidii fide dignissimis, si Diis placet. Plures ejusmodi apparitiones
congestit Baronius in martyrologio suo ad, ni fallor, diem 8. mensis Maji. In-
ter reliquas, tres circumferuntur celebriores, quæ ansam præbuisse dicuntur
festo apparitionis S. Michaelis, quod celebratum mense majo, de quibus vid.
Hospin de Festis. Prima facta est in monte Gargano, in Apulia sito. Cum
enim non nemo ex Siponte Campaniæ urbe bovem amissum in quadam hu-
jus montis speluncâ inveniret, ira percitus jactis in eum telis bovem interfice-
re parabat. Sed præter spem inversum telum vulnèraturo vulnus infixit.
Re hac ad Episcopum delata, triduanum imperatur jejunium. Commo-
dum se conspiciendum sistit Michael, & hæc in verba prorumpit: *Ego sum
Michael Archangelus, qui semper asto in conspectu Domini. Hoc autem signo
declarare volui, me hujus Civitatis esse custodem, & speculatorem omnium
quæcumque in ea fiunt.* Hanc altera excepit circa annum Christi 390. vel
juxta alios 494. Postquam enim Sipontini bello à Neapolitanis premeren-
tur, Sipontinus Episcopus recordatus Michaelem promississe se fore custo-
dem illius urbis, iterato triduanò jejuniò supplicibus precibus opem Michae-
lis sollicitare jussit. Apparet illa nocte Michael Episcopo, de oratione exau-
dita & spe victoriæ certum facit, mane summo jubet ire in hostem. Irruunt,
concutitur mons Garganus, vertice montis atra involuto caligine fulmina
personant, victoriamque ab hoste reportant Sipontini. Tertia denique appari-
tione Gregorii M. temporibus Romæ se conspiciendum dat. Dum enim ar-
dor fervet in decantandis Litanis majoribus, & pro averruncanda pestis sæ-
vitia vota funduntur, vidit Gregorius super castrum quod olim Adriani moles

vocabatur, angelum gladium recondentem in vaginam. Certior igitur
de auxilio & spe salutis, templum in honorem angelorum ibidem construxit,
castrumque illud S. Angeli vocari iussit. Propter duas posteriores visiones,
quæ 8. Maji obtigisse dicuntur, Festum Apparitionis Michaelis eo mense fuit
institutum. Sipontini, partâ victoria, toti in cultum & adorationem, effu-
si ante ipsum os speluncæ, ubi Angelus ille apparuerat quotidie orationibus
& votis indulgebant, nunquam tamen, nescio qua religione sive suspitione de-
territi, ipsam speluncam intrare ausi sunt. Autoritate Episcopi consulti-
tur oraculum illud Italiæ Pontifex Rom. Ille ipsius Archangeli mentem ex-
plorandam censet. Revertuntur Sipontini ad solita jejunia. Adest rursus
Michael Angelus Episcopo, dedicationem templi, quod ipse consecravit, super-
fluam esse docet, cras proinde intrent, divinisque operentur. Facto mane
frequentes ingrediuntur, inveniuntque excisam in eo antro amplitudinem
magnam, & in ea altaria tria, fontem quoque cum stillante è petrâ aqua
dulcissima, & vas vitreum pensile ex catenâ argentea, quo ascendentes jam
homines bibunt inde. Quæ adhuc deerant, Episcopus adjicere jubet, mi-
nistrosque ibidem ad cultum divinum instituit. Quibus auditis Papa diem
illum nimirû 3. Cal. Octob. quo hæc facta fuerunt, sanctum instituit & religio-
se per totum orbem terrarum observari præcepit in honorem S. Michaelis
& omnium Angelorum. Vid. omnino Petrus de Natalib. l. 8. hist. Longob.
De anno quo hæc facta sunt non convenit inter Autores. Nonnulli referunt ad
annum 560. Dresserus ad An. Ch. 480. Alii ad ann. 500. Calvisius ex Baronio
ad An. Ch. 493. Baron. ad dictum annum: *sub hoc anno secundo Gelasii Pape
facta ponitur (ex Sigebert. h. an. 2.) inventio cryptæ Garganiontis, quæ ex
apparitione S. Michaelis Archangeli reddita celeberrima, pio cultui est
mancipata. Crevitque majoribus in dies accessionibus semel captus illic reli-
giosus cultus S. Michaelis Archangeli, quem & universa occidentalis Ecclesia
anniversaria solennitate celebrandum suscepit; & locus ipse ob ingentia illic
solita edî miracula jugi in posterum peregrinatione fidelium est frequentatus.*
Ceterum ex Drepanii Flori carmine colligit, ante apparitionem in Gargano
factam, jam celebrem Romæ fuisse cultum ejusdem Michaelis Archangeli.
Quin refert idem ad an. 60. Ch. illis temporibus hæresin esse debacchatam,
quæ religionem institueret Angelorum. Morem tamen fuisse Ecclesiæ Ca-
tholicæ, non Hæreticorum, Angelos venerari, & præsertim in honorem S. Mi-
chaelis Archangeli, quem Patronum novit, & protectorem, ob insignia ejus
ope accepta beneficia, memorias erigere, illumque precari, sic & ceteros, ut
apud Deum intercederent. Et hoc purè, sanctè, religiose & frequenter præ-
stari


stari solitum in universo Christianorum orbe. *Colossis insuper sub Laodiciensi metropoli positis antiquum viguisse cultum Michaelis Archangeli, non quidem ut eum tanquam Deum colerent, sed ut præcipuum Dei ministrum, eo cultu, quem sanctos Angelos decet, afficerent, idque non hæreticorum persuasione, sed ostensione immensi prodigii.* In Orientali etiam Ecclesiâ ex Menologio antiquo Græcorum, assert, die sextâ Septembris commemorationem miraculi ostensi à Principe militiæ cælestis Michaeli in urbe Colossensium, quæ postea dicta est Cone, actam fuisse. Hinc etiam factum, quia S. Michael in excelso quodam loco sedem suam elegit, ut Basilicâ S. Michaeli sacræ in locis excelsioribus extruerentur. Michaeli ferunt dixisse, se velle horum peccata abolere qui ad ipsius Basilicam in Gargano extructam confugerent. Ubi verò Angelus in Sacris dicitur peccata remittere? Et quis tam credulus ut tales historias sive potius fabulas sibi persvaderi patiatur. Interim hoc certum, à Pontificiis amplissimos in Michaeli conferri titulos. Vocant illum Præpositum paradisi, Primatem cœlestis exercitus, Principem militiæ cælestis, eumque in Litanis primum post B. virginem invocari volunt. Appellant eum protectorem omnium fidelium, adferuntque, eum in extremo iudicii die tubam inflaturum, omnesque ad Tribunal Christi convocaturum. Quòd tamen neque omnibus ex Pontificiis placet. Apud Engelgraven in Panth. Cæl. part. 2. p. 156. seq. non nemo ita inducitur orans: *O ter sanctissime, summeque amande & venerande sacræ militiæ Princeps & administer Michael, Angelorum Coryphæ, omni cultus omnique laudum celebratione dignissime &c. quando tandem omnia consummabuntur tunc ô sancte Archisatrapa, errantium ductor, prolapsorum excitator, animarum propugnator, corporum conservator, demonum exterminator, creatura illustrator, tunc obsecro, tunc fidus causa mea Patronus adesse ne gravere, &c. Iterum re & nomine Michael, te oro, & quanto possum sensu obtestor, ut è vitæ hujus curriculo exituro tetus pacatusque appareas, meque sub honorato alarum tuarum velamine abscondas, atque ex angustiis, obscurisque inferorum locis ereptum in locum tabernaculi admirabilis constituas, deducens usque ad domum Dei &c.* Parùm verò erat Angelis, & maximè Michaeli Principi hierarchiæ cælestis tanta tribuere, nisi Papicollæ & suo Principi hierarchiæ subcælestis, Papæ Romano, majora arrogarent. B. Gerh. in conf. Cathol. lib. 12. gen. art. 3. append. §. XI. ex Bulla Indulgent. Clement. VI. super anno Jubilæo 1350. adducit, Papæ etiam in ipsos Angelos imperium tribui. Verba Bullæ allegantur hæc: *Proorsus MANDAMUS Angelis Paradisi quatenus animam à purgatorio penitus absolutam in paradisi gloriam introducant.* Egmundanus apud Balaum

æum de vit. Pontif. in Clem. 8. *Papa habet imperium in Angelos & Dæmonas.* Sed missis, Cives Academici honoratissimi, ejusmodi figmentorum, monstris, quæ, Ut cum comico loquar, Nugipolyloquides, Argentiexterebronides & Nummorumexpalponides isti identidem crepant, nos potius Deo, Universi hujus & omnium Angelorû Conditori gloriosissimo hoc potissimum die meritissimas devotis pectoribus persolvimus grates, qui, infirmam nostram conditionem tanto dignatus est honore, ut inferioribus superiores, infirmis potestates, mortalibus immortales, peccatoribus sanctissimos in ministerium delegaret. Ipsos equidem Angelos, quos scriptura Hebr. 1. v. 14. dicit esse *administratorios spiritus, qui in ministerium emittuntur, propter eos, qui hæredes erunt salutis,* honoramus tanquàm omnipotentissimi Regis Regum & Domini Dominorum Legatos illa streis, qui variis nos beneficiis mactent; sed cultum nihilominus religiosum soli Deo deberi scimus, juxta Matth. 4. maximè cum ne quidem Angelus cultum civilem sibi exhiberi à Johanne sustinuerit: Scite Augustinus in libro de verâ relig. *Honoramus Angelos charitate, non servitute, nec templa eis exstruimus, quia ipsi Angelicè honorari nolunt à nobis, quos ipsos sciunt Dei esse templa.* Angelos ministrare singulis statibus, quin singulis piis, profitemur, ipsâ illud docente scripturâ In statu Ecclesiastico promovent ministeriis, eos, & regna defendunt 2. Reg. 6. v. 17. 2. Reg. 19. 35. In Politico ad sunt Magistratibus, eos, & conjugum Gen. 24. 7. protegunt liberos Matth. 18. 10. singulos pios custodiunt in ætate infantili Matth. 18. v. 20. in vitæ progressu Ps. 34. & Ps. 91. v. XI. in egressu Luc. 16. v. 22. esurientes satiant 1. Reg. c. 19. sitientes reficiunt Gen. 21. proficentes comitantur Gen. c. 32. Nomina vero singulorum, distinctamq; ordinum dispositionem, tacentibus scripturis, ignorare nos largimur. Quod reliquum est tales nos gerere decet, quos satellitio illo fortissimo dignos judicet Dominus exercituum, ne forte Princeps hujus mundi, qui circuit quæsiturus quos devoret, defectos hoc præsidio invadat, oppugnet & expugnet. Timeamus igitur Dominum! castra enim metatur Angelus Domini circum timentes eum, & eripit eos.

P. P. Rostochii, sub sigillo Rectoratus XXIX. Sept.
Anno 1674.

stari solitum in universo Christianorum orbe.
cens metropoli positus antiquum viguisse cultum
quidem ut eum tanquam Deum colerent, sed ut p
eo cultu, quem sanctos Angelos decet, afficerent, in
suasione, sed ostensione immensi prodigii. In Orie
nologio antiquo Græcorum, affert, die sextâ Sep
miraculi ostensi à Principe militia celestis Michae
postea dicta est Cone, actam fuisse. Hinc etiam fas
cello quodam loco sedem suam elegit, ut Basilicæ S
celstioribus extruerentur. Michaellem ferunt di
ta ab olere qui ad ipsius Basilicam in Gargano ex
verò Angelus in Sacris dicitur peccata remittere?
les historias sive potius fabulas sibi persuaderi patia
à Pontificiis ampliffimos in Michaellem conferri t
positum paradisi, Primatem celestis exercitus, I
eumque in Litanis primum post B. virginem in
eum protectorem omnium fidelium, adseruntque,
tubam inflaturum, omnesque ad Tribunal Chri
tamen neque omnibus ex Pontificiis placet. Ap
Cæl. part. 2. p. 136. seq. non nemo ita inducitur
summeque amande & venerande sacra militia
chael, Angelorum Coryphæe, omni cultus omniq
gnissime &c. quando tandem omnia consummab
satrâpâ, errantium ductor, prolapsorum excitat
tor, corporum conservator, demonum extermin
tunc obsecro, tunc fidus causa mea Patronus adesse n
& nomine Michael, te oro, & quanto possum sensu obt
culo exituro tetus pacatusque appareas, meque sub
velamine abscondas, atque ex angustiis, obscurisqu
in locum tabernaculi admirabilis constituas, de
Dei &c. Parùm verò erat Angelis, & maxime Mi
celestis tanta tribuere, nisi Papicollæ & suo Principi
Papæ Romano, majora arrogarent. B. Gerh. in con
append. §. XI. ex Bulla Indulgent. Clement. VI. supe
cit, Papæ etiam in ipsos Angelos imperium tribui
hæc: Prorsus MANDAMUS Angelis Paradisi quatuor
penitus absolutam in paradisi gloriam introducant

the scale towards document



sub Laodi
bangel, non
ministrum.,
ticorum per
clesiâ ex Me
morationem
sensum, que
michael in ex
ra in locis ex
orum pecca
gerent. Ubi
edulus ut ta
hoc certum,
t illum Pra
tia celestis,
Appellant
o iudicii die
um. Quòd
en in Panth.
sanctissime,
minister Mi
bratione di
ante Archi
propugna
illustrator,
Ierum re
hujus curri
um tuarum
ncis ereptum
ad domum
hierarchie
subcelestis,
2. gen. art. 3.
1350. addu
allegantur
purgatorio
us apud Ba
laum